

„III. Denique restrictio, quae formulae verbis inest, non satis tollitur illo addito: ‚Insuper definimus, hanc sive in Romano Pontifice sive in universa Ecclesia docente spectatam infallibilitatem etiam ad unum idemque obiectum sese extendere.‘ Etenim tunc solum tolleretur, si diceretur, Ecclesiae infallibilitatem sese ad plura extendere quam ad sola dogmata declaranda et haereses condemnandas. Id autem non dicitur, sed obiectum infallibilitatis Ecclesiae prorsus indeterminate exprimitur. Propterea autem oritur ex hisce novae formulae verbis grave incommodum, quod non adesset, si obiectum magisterii infallibilis competentis Romano Pontifici pariter indeterminate tantum exhiberetur. Nova formula, postquam obiectum infallibilitatis Romani Pontificis determinavit, obiectum infallibilitatis Ecclesiae exhibet indeterminate, et dicit, pro Romano Pontifice et pro Ecclesia obiectum esse idem. Hinc praebetur ansa obiectum infallibilitatis Ecclesiae determinandi per obiectum [infallibilitatis] Romani Pontificis et concludendi, Ecclesiam non esse infallibilem nisi quoad dogmata et haereses, sicut Romanus Pontifex non est infallibilis declaratus nisi quoad dogmata et haereses. — Et vero, si duo, quorum alterum est determinatum, alterum indeterminatum, inter se convenire dicuntur, id, quod est indeterminatum, exponi solet per id, quod est magis determinatum, quum minus notum explicari debeat per id, quod est magis notum. . .

„Dici fortasse potest, ambiguitatem, quae ex obiecto Ecclesiae et Romani Pontificis aequiparando oritur, sublato iri, quum postea infallibilitatis Ecclesiae obiectum accuratius exprimendum sit. Supponendo, id locum esse habiturum, et obiectum infallibilitatis Ecclesiae ad plura esse extendendum, nihilominus praestare videtur, illa formulae verba eligere, quae etiam hic ambiguitati non praebeant ansam.

„Praeterea, quum hic obiectum infallibilitatis Romani Pontificis sit restrictum, si postea extendatur, nonne dicent, Concilium non sincere egisse, primo obiectum restringendo, postea extendendo? Huius calumniae praescinderetur occasio, si obiectum relinqueretur indeterminatum. — Sed abstrahendo etiam a calumniandi occasione, disse- rendi legibus minus videtur congruere, ut obiectum primo cum determinata restrictione efferatur, postea indeterminate exponatur. Plerumque enim via contraria procedi solet, ut videlicet, quod primo indeterminate sive conceptum sive expressum est, postea determinetur.

„Patet igitur, nova hac formula non videri illud obtineri, quod maxime curandum est, ut videlicet omnibus apertissime constet, obiectum infallibilitatis pontificiae eo usque extendi, quousque extenditur ipsius Ecclesiae infallibilitas; sed ansam praebere existimandi, Romani Pontificis infallibilitatem restringi, aut iusto nimis restringi ipsius Ecclesiae infallibilitatem.“¹

¹ Fasciculus emendationum etc. C. V. 1706a sqq.

Suam tandem formulam propositurus animadvertit: „Praemittimus, nostra sententia cavendum quidem esse, ne formula definitionis illi errori favere videatur, qui nimis iam sparsus est, iudicia videlicet S. Sedis et ipsius Ecclesiae non esse infallibilia, nisi versentur in iis, quae sunt proprio et restricto sensu fide divina credenda; *non tamen a nobis peti, ut hic error hoc loco tanquam haeresis damnetur, dogma de infallibilitate sic proponendo, ut per se ipsum ad facta dogmatica et alia obiecta magisterii ecclesiastici extendatur.* Satis esse credimus, si definiatur, Romanum Pontificem esse infallibilem, ut est infallibilis Ecclesia. Itaque formulam, quae habetur in schemate, sic proponimus reformandam:

„Hinc sacro approbante Concilio docemus et dogma fidei esse declaramus: Romanum Pontificem, cui in persona b. Petri praeter alia a Christo Domino Nostro dictum est: Ego pro te rogavi etc. — quum pro plena potestate docendi universam Ecclesiam quaestiones de fide et moribus suo iudicio definit, per Spiritus Sancti assistentiam ab errore immunem servari; et has eius definitiones sive decreta, per se irreformabilia, a quovis christiano, ut primum ei innotuerint, pleno mentis assensu et obsequio excipienda et tenenda esse. Definimus insuper, hanc Romani Pontificis infallibilitatem ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur“ etc.¹

His patet, qualis fuerit dissensio inter eos, qui formulam Congregationi generali traditam respuebant, et complures illos Patres deputationis de fide, qui eam formulam composuerant. Utrisque constabat, Summum Pontificem non solum in rebus in se revelatis infallibilem esse, sed etiam in iis, quae cum revelatis cohaerent; porro utrique a definienda hac veritate abstinendum esse censebant. Dissentiebant de sola definitionis forma. Illi volebant, obiectum infallibilitatis omnino non accurate exhiberi, sed generatim definiri, Summum Pontificem in rebus fidei et morum infallibilem esse, ita, ut adderetur, obiectum infallibilitatis pontificiae idem esse cum obiecto infallibilitatis Ecclesiae. Hi censebant, definiendum esse, Summum Pontificem in rebus *fide divina credendis* infallibilem esse, addito quidem etiam altero, ambitum obiecti infallibilitatis pontificiae tam late patere quam obiectum infallibilitatis Ecclesiae. Quibus utrique ducebantur rationibus, exposuimus.

Dum in Congregationibus generalibus discussio de toto schemate et discussiones speciales de singulis capitibus habebantur, Patres illi, qui proposita definitionis infallibilitatis pontificiae formula contenti non erant, in congressibus privatis de ea emendanda deliberare pergebant. Quae ab iis contra formulam afferebantur, negligi non poterant ab iis, qui formulae auctores exstiterunt.

¹ Fasciculus emendationum etc. C. V. 1706d sq.

In sessione quadragesima quarta deputationis die 22. Maii Cardinalis Bilio, postquam animadvertit, permultos Patres nova formula capitis quarti offendi, atque ob rationes non leves offendi, eam mutandam esse dixit idque eisdem fere rationibus probavit, quae die 7. Maii contra ipsum a duobus deputatis allatae erant. Praeter Archiepiscopos Dechamps, Spalding, Steins et Episc. Martin ei prope omnes assentiebantur. Novam formulam proposuit, quae quoad substantiam in pristinam, quam deputatio perperam mutaverat, rediit. Fere omnes autem deputati censebant, non iam aliam formulam a deputatione adoptandam et proponendam esse, sed e formulis, quas Patres in Congregationibus generalibus proposituri essent, eam esse eligendam, quae videretur optima¹.

Iis tamen non acquievit Cardinalis. Die 8. Iunii novum schema capitis quarti proposuit atque commendavit, in quo ipsa definitionis verba sunt haec: „ . . . sacro approbante Concilio docemus et divinitus revelatum dogma esse declaramus: Romanum Pontificem, . . . cum supremi doctoris munere fungens quaestiones de fide et moribus suo iudicio definit, per Spiritus Sancti assistentiam ab errore immunem servari, et has eius definitiones sive decreta, per se irreformabilia, a quovis christiano, ut primum ei innotuerint, pleno mentis assensu et fidei obsequio excipienda et tenenda esse. Definimus insuper, hanc Romani Pontificis infallibilitatem ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur.“² Formulae aliqua adnotata sunt. De hoc eius loco animadvertuntur haec: „ . . . sensus formulae, quae nunc proponitur, eatenus indeterminatus est, quatenus quaeri potest, quatenam sit definitio quaestiones fidei, num ea tantum, qua aliquid fide divina credendum proponitur, an eae quoque, quibus de facto dogmatico decernitur, aut censura minor infra haeresim infligitur etc. Sed huic dubitationi per ea, quae de obiecto infallibilitatis addita sunt, quantum hic satis est, respondetur. Si enim in alia Constitutione obiectum infallibilitatis Ecclesiae determinabitur, eo ipso etiam obiectum infallibilitatis Romani Pontificis declarabitur. Sin vero nulla talis definitio fiet, *de obiecto vi huius decreti iudicandum erit secundum ea, quae nunc iam de Ecclesiae infallibilitate communiter tenentur: nempe dogma fidei esse, Romanum Pontificem non posse errare, quum divina fide credenda proponit, et theologice certum esse, eum etiam in aliis rebus declarandis ab errore immunem esse.* Unde patet, per hanc formulam nec plus nec minus definiri, quam in prius proposita definiretur; sed per hanc formulam genericam vitari videntur incommoda quaedam in priori a nonnullis inventa.“³

¹ Ex actis etc. C. V. 1686a. — Ex diurnis etc. C. V. 1701a.

² Formulae tres pro emendatione capitis quarti etc. C. V. 1644a.

³ Ibid. C. V. 1644c.

Illa igitur formula nihil novi de obiecto infallibilitatis definitur; agitur de solo eius subiecto. Quae de obiecto infallibilitatis Ecclesiae *aliunde* cognita sunt, ad infallibilitatem Summi Pontificis transferuntur. Formula, licet compluribus placuerit, post diuturnam de ea discussionem repudiata est⁴.

Tertiam formulam² Cardinalis Bilio in quinquagesima sessione die 24. Iunii deputationi tradidit, in qua nulla est accuratior descriptio obiecti infallibilitatis. De ea tamen deliberatio habita non est³.

Iam antea, in Congregatione generali septuagesima altera die 15. Iunii, discussio specialis de quarto capite Constitutionis inceperat. Die 18. Iunii Cardinalis Cullen, Archiep. Dublinensis, eius paragraphi, qua definitio continetur, emendationem⁴ proposuerat, quam Cardinalis Bilio sequenti die in sessione quadragesima octava deputationi commendaverat⁵. In sessione quinquagesima prima ad eam rediit et deputatos rogavit, placeretne, eam formulam Congregationi generali commendari. Deputatis videbatur exspectandum esse, donec proposita Patrum scripto tradita essent⁶. Etiam ab aliis Patribus et in deputationis sessionibus et in privatis conventibus novae formulae proponebantur vel commendabantur, in quibus illud „tanquam de fide tenendum“ omittitur⁷. Ipse Episcopus Paderbornensis in Congregatione generali iam novam formulam proponit, cui haec verba, quae antea addiderat, desunt⁸.

⁴ Ex actis etc. C. V. 1686 b sqq. — Ex diurnis etc. C. V. 1701 a.

² „Hinc sacro approbante Concilio docemus et fidei dogma esse declaramus, Romanum Pontificem, quando ex Cathedra loquitur, id est, quando supremi pastoris et doctoris munere fungens res fidei et morum ad aedificationem doctrinae christianae pertinentium definit, per assistentiam divinam Petro promissam aequae esse infallibilem, ac si easdem una cum Episcopis in generali Concilio congregatis definiret, atque huiusmodi iudicia Romani Pontificis esse ex sese irreformabilia.“ Formulae tres etc. C. V. 1644 d.

³ Ex actis etc. C. V. 1690 d. — Ex diurnis etc. C. V. 1701 b.

⁴ „ . . . sacro approbante Concilio docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, . . . quum doctrinam de fide vel moribus sua in universam Ecclesiam auctoritate definit, per assistentiam Spiritus Sancti ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit; ideoque haec Romani Pontificis decreta ex sese irreformabilia esse.“ Formulae tres etc. C. V. 1645 c. d. Cf. Emendationes etc. C. V. 382 d. Est emendatio sexagesima octava.

⁵ Ex actis etc. C. V. 1689 d. — Ex diurnis etc. C. V. 1701 b.

⁶ Ex actis etc. C. V. 1691 a. — Ex diurnis etc. C. V. 1701 b. c.

⁷ Ex actis etc. C. V. 1692 a. — Ex diurnis etc. C. V. 1701 c.

⁸ Ex diurnis commentariis etc. C. V. 1701 c. Formula est haec:

„ . . . sacro approbante Concilio docemus et tanquam dogma fidei declaramus: Romanum Pontificem . . . , quum pro suprema sua apostolica auctoritate universam Ecclesiam docet, *in definiendis rebus fidei et morum ad*

Discussionem speciali de quarto capite die 4. Iulii conclusa emendationes a Patribus propositae deputationi pro rebus ad fidem spectantibus tradebantur. In nonnullis ex formulis propositis verba illa „tanquam de fide“ retenta¹, in aliis deleta sunt², in aliis etiam adnotatum est, verba tollenda esse, ne obiectum infallibilitatis coartetur³. Inter canones, qui proponebantur, unus est⁴, in quem recepta sunt, in omnibus aliis desunt⁵. Unus ex Patribus poscit, ut diserte dicatur, Summo Pontifici obedientiam deberi proponenti etiam ea, quae in se revelata non sunt⁶. Alius, ut definiatur, Papam in factis dogmaticis definiendis infallibilem esse⁷.

Deputatio tribus diebus continuis (7. 8. 9. Iulii) diurnas et laboris plenas sessiones habuit, ut omnes emendationes in trutinam revocaret. Quum ad eas perventum esset, quibus de ipsa definitionis formula agebatur, examine emendationum interrupto Eñus Praeses monuit, necessarium esse, ut Patres, antequam ipsam definitionis formulam discuterent, de duobus convenirent, primo de re definienda, secundo de formula definitionis. Quoad primam quaestionem omnes consentiebant, id Romano Pontifici solemniter definiendi tribuendum esse, quod ei una cum Episcopis unito seu Concilio oecumenico competit, nec plus, nec minus. Quoad formulam, omnes, uno excepto, in hac convenerunt: „Romanum Pontificem, quum ex Cathedra loquitur, id est, quum supremi omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam, infallibilem esse ad eum modum, quo per eandem Spiritus Sancti assistentiam in doctrina de fide et moribus definienda infallibilia sunt sanctae Ecclesiae oecumenica Concilia.“⁸

Neque tamen hanc ipsam formulam deputati Congregationi proponi et commendari volebant. In ea comprobanda id solum agebant, ut quoad illam quaestionem, de qua tantopere disputatum erat, sc. de modo, quo obiectum infallibilitatis commemoraretur, convenirent. Sequenti die alius formulae ab illa multum diversae mentio fit⁹, atque tandem die 9. Iulii ea formula proponitur, quae ab omnibus deputatis comprobata¹⁰ in Congregatione generali a deputationis relatore commendabatur. Haec formula ab illa, quam a Cardinali Cullen in Con-

aedificationem doctrinae christianae pertinentium . . . errare non posse, ideoque“ etc. C. V. 1713 b.

¹ Emendatio 33. 36. 37. 45. 47. 52. C. V. 376 d sqq.

² Emendatio 25. 31. 54. 66. 67. 68. C. V. 375 d.

³ Emendatio 56. 57. 65. C. V. 380 d sqq. ⁴ Emendatio 95. C. V. 386 d.

⁵ Emendationes 85—93. C. V. 385 d sqq.

⁶ Emendatio 70. C. V. 383 a. ⁷ Emendatio 71. C. V. 383 a.

⁸ Ex actis etc. C. V. 1692 c. d.

⁹ Ex actis etc. C. V. 1693 c. ¹⁰ Ibid. C. V. 1694 c. d.

gregatione generali propositam supra attulimus¹, non multum differt. Ea typis impressa inter Patres distribuitur². Relator deputationis constituitur Episc. Brixinensis.

Is in Congregatione generali octogesima quarta (d. 11. Iulii), in qua de emendationibus Patrum suffragia ferenda erant, primo generatim de capite quarto³, deinde de singulis primis viginti emendationibus⁴, atque suffragiis de his latis, de reliquis emendationibus disseruit⁵. Quum ad illas pervenisset, quae ad obiectum infallibilitatis referuntur, primo eam formulam praelegit, quam deputatio unanimi consensu comprobavit; est autem haec: „ . . . sacro approbante Concilio docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, quum ex Cathedra loquitur, id est quum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in b. Petro promissam ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit, ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones esse ex sese irreformabiles.“⁶ Rñus relator dicit, multis habitis deliberationibus deputationem constituisse, hanc formulam, quae fere eadem sit cum formula in emendatione sexagesima octava proposita, Congregationi generali commendare. Deinde eam explicaturus ostendit, in ea sermonem esse de subiecto infallibilitatis, deinde de conditionibus actus infallibilis definitionis, tum de infallibilitatis causa efficienti, tandem de eius obiecto. Quae de obiecto disseruit, ad nos maxime spectant atque controversiam omnem dirimunt, quare ea integra referemus.

„Infallibilitas“, inquit, „promissa est ad custodiendum et evolendum integrum depositum fidei. Hinc universim quidem facile patet, obiectum infallibilitatis esse doctrinam de fide et moribus. At non omnes veritates, quae ad doctrinam de fide et moribus christianis pertinent, sunt unius modi; nec omnes in uno eodemque gradu ad custodiam integritatis depositi necessariae sunt. Unde etiam consequitur, errores contrarios diversis gradibus adversari deposito custodiendo, prout veritates ipsae, quibus adversantur, magis vel minus ad ipsum depositum pertinent. Qui quidem errorum gradus diversi diversis censurarum notis distinguuntur.

¹ P. 201⁴. ² Acta Congregationum etc. C. V. 758 b. — Relatio etc. C. V. 388 b.

³ Relatio etc. C. V. 388 c sqq. — Acta Congregationum etc. C. V. 758 b.

⁴ Relatio etc. C. V. 406 a sqq. — Acta Congregationum etc. C. V. 758 b. c.

⁵ Relatio etc. C. V. 410 a sqq. — Acta Congregationum etc. C. V. 758 c.

⁶ Relatio etc. C. V. 413 d sq. Cf. 388 b. Cf. Ex actis etc. C. V. 1694 c. d.

„Iam hic 1. certum est, infallibilitatem a Deo promissam, sive in tota Ecclesia docente, quum in Conciliis veritates definit, sive in ipso Summo Pontifice per se spectetur, ad eundem omnino ambitum veritatum extendi; cum idem sit finis infallibilitatis, utrovis modo ea consideretur.

„2. In eo ipso verbo Dei, quo infallibilitas ad custodiam depositi sive Pontifici per se spectato sive Ecclesiae docenti promissa est, continetur etiam indubitanter, hanc infallibilitatem extendi saltem ad ea, quae per se depositum fidei constituunt, ad dogmata nimirum fidei definienda et, quod eodem redit, ad haereses condemnandas. Hinc sane de fide creditur et credendum est ab omnibus filiis sanctae matris Ecclesiae, Ecclesiam in proponendis ac definiendis dogmatibus fidei infallibilem esse. Eodem autem modo infallibilitas capitis Ecclesiae revelata esse et defini non poterit, quin eo ipso revelatum sit ac definiatur, Pontificem esse infallibilem in definiendis fidei dogmatibus.

„At vero 3. cum dogmatibus revelatis, ut paulo ante dixi, veritates aliae magis vel minus stricte cohaerent, quae licet in se revelatae non sint, requiruntur tamen ad ipsum depositum revelationis integre custodiendum, rite explicandum et efficaciter definiendum; huiusmodi igitur veritates, ad quas utique etiam per se pertinent facta dogmatica, quatenus sine his depositum fidei custodiri et exponi non posset, huiusmodi, inquam, veritates non quidem per se ad depositum fidei, sed tamen ad custodiam depositi fidei spectant. Hinc omnes omnino catholici theologi consentiunt, Ecclesiam in huiusmodi veritatum authentica propositione ac definitione esse infallibilem, ita ut hanc infallibilitatem negare gravissimus esset error. Sed opinionum diversitas versatur unice circa gradum certitudinis, utrum sc. infallibilitas in hisce veritatibus proponendis, ac proinde in erroribus per censuras nota haereseos inferiores proscribendis debeat censi dogma fidei, ut hanc infallibilitatem Ecclesiae negans esset haereticus; an solum sit veritas in se non revelata, sed ex revelato dogmate deducta, ac proinde solum theologice certa.

„Iam vero quum de infallibilitate Summi Pontificis in definiendis veritatibus idem omnino dicendum sit, quod de infallibilitate definiens Ecclesiae, eadem oritur quaestio de extensione infallibilitatis pontificiae ad huiusmodi veritates in se non revelatas, pertinentes tamen ad custodiam depositi: quaestio, inquam, oritur, utrum infallibilitas pontificia in his veritatibus definiendis non solum sit theologice certa, sed sit fidei dogma, eodem prorsus modo, sicut dictum est de infallibilitate Ecclesiae. Quum autem Patribus deputationis unanimi consensione visum sit, hanc quaestionem nunc saltem non definiendam, sed relinquendam esse in eo statu, in quo est, necessario consequitur, ex eorundem deputatorum sententia decretum fidei de infallibilitate Romani Pontificis ita esse concipiendum, ut definiatur, de obiecto in-

fallibilitatis in definitionibus Romani Pontificis omnino idem credendum esse, quod creditur de obiecto infallibilitatis in definitionibus Ecclesiae.

„Hinc praesens definitio de obiecto infallibilitatis duas continet partes inter se intime nexas. Pars prior obiectum infallibilitatis solum generice enuntiat, illud nempe esse doctrinam de fide et moribus; pars vero altera hoc obiectum non quidem per singula distincte declarat, sed illud circumscribit ac determinat per comparisonem cum infallibilitate in definitionibus Ecclesiae, adeo ut omnino idem profitendum sit de obiecto infallibilitatis in definitionibus editis a Pontifice, quod profitendum est de obiecto infallibilitatis in definitionibus Ecclesiae. Hae duae partes semper debent inter se coniungi, si sensus nostrae definitionis verus velit haberi. Ergo non solummodo dicendum est, Papam esse infallibilem in rebus fidei et morum, quando definit doctrinas de fide et moribus, sed hanc infallibilitatem esse eam infallibilitatem, qua gaudet Ecclesia; proinde etiam nunquam sibi omnino sensum definitionis nostrae quis assequeretur, si simpliciter annuntiaret, Romanum Pontificem esse infallibilem, quando aliquid definit de fide vel moribus; sicut etiam ille sensum nostrae formulae non assequeretur, qui simpliciter diceret, Romanum Pontificem esse infallibilem, quando aliquid definit ab Ecclesia simpliciter tenendum; sed hae duae res semper sunt inter se connectendae, ut sensus nostrae formulae sanus et verus habeatur. Hoc autem utrumque aptissime exprimi videtur hac formula: Romanum Pontificem, quum doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.

„Proinde in tota hac definitione tria sequentia continentur: 1. Romanum Pontificem per promissam sibi divinam assistentiam esse infallibilem, quum per suprema sua auctoritate doctrinam ab universa Ecclesia tenendam definit seu, ut plures theologi loquuntur, definitiva ac terminativa sententia proponit; 2. obiectum harum infallibilium definitionum esse doctrinam de fide vel moribus; 3. in hoc obiecto ita generice enuntiato infallibilitatem Pontificis nec minus nec magis late patere, quam pateat infallibilitas Ecclesiae in suis definitionibus doctrinae de fide et moribus. Unde sicut nemine diffitente haereticum est, Ecclesiae infallibilitatem in definiendis fidei dogmatibus negare, ita in huius decreti Vaticani vim non minus haereticum erit negare Summi Pontificis per se spectati infallibilitatem in definitionibus dogmatum fidei. In illis autem, in quibus theologice quidem certum, non tamen hactenus certum de fide est, Ecclesiam esse infallibilem, etiam infallibilitas Pontificis hoc decreto sacri Concilii non definitur tanquam de fide credenda. Qua vero certitudine theologica constat, haec alia obiecta praeter dogmata fidei comprehendi inter ambitum infalli-